

Ecce sponsus, exite obviam ei.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

25, 1-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc:

- ¹ «Símile erit regnum cælórum decem virgínibus,
quæ accipiéntes lámpades suas
exiérunt óbviám sponso.
- ² Quinque autem ex eis erant fátuæ
et quinque prudéntes.
- ³ Fátuæ enim,
accéptis lampádibus suis,
non sumpsérunt óleum secum;
- ⁴ prudéntes vero accepérunt óleum in vasis
cum lampádibus suis.
- ⁵ Moram autem faciénte sponso,
dormitavérunt omnes et dormiérunt.
- ⁶ Média autem nocte clamor factus est:
“Ecce sponsus! Exíte óbviám ei”.
- ⁷ Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ
et ornavérunt lámpades suas.
- ⁸ Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt:
“Date nobis de óleo vestro,
quia lámpades nostræ exstinguúntur”.
- ⁹ Respondérunt prudéntes dicéntes:
“Ne forte non suffíciat nobis et vobis,
ite pótius ad vendéntes et émite vobis”.
- ¹⁰ Dum autem irent émere,
venit sponsus,
et quæ parátæ erant,

intravérunt cum eo ad núptias;
et clausa est iánua.

¹¹ Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines
dicéntes:

“Dómine, Dómine, áperi nobis”.

¹² At ille respóndens ait:

“Amen dico vobis:
Néscio vos”.

¹³ Vigiláte ítaque,
quia nescítis diem neque horam».

Verbum Dómini.